

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 8182

**Auteur(s)** : Nicolas de Buat [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1215

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Nicolas de Buat et ses frères Robert, Guillaume et Hugues passent un accord avec l'abbaye de la Trappe pour mettre fin à un différend existant entre eux et la dite abbaye relativement aux étangs et à la dîme de Prépotin.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, p. « De bladis et decimis Sagiensi dyocesis », n° XIV, p. 408-409.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Nicholaus de Buato, salutem. Sciatis omnes, presentes et futuri, quod, cum esset contentio inter me et fratres meos, ex una parte, et monachos Domus Dei de Trappa, ex altera, super stannis et aliis rebus ad eadem stanna pertinentibus et super quadam via publica et quadam decima, pacificatum est illa contentio et omnes alie que usque ad illum diem fuerant inter me et ipsos tali modo, quod monachi possunt levare calceiam medii stanni sui tam alte quod usque ad vetus beium quod est in nemore aqua redundet, calceiam vero superioris stagni levabunt ad mensuram calceie stagni inferioris. Nemus quod aqua medii et superioris stagni ocupabit, sine contradictione erit monachorum ; via vero publica que in fine erat istius superioris stagni de cetero erit desuper calceiam Roberti, fratris mei. Robertus autem talem debet calceiam suam facere que sit conveniens ad publicam viam, ne de publica via monachi amplius molestantur. Et cum prefatus Robertus, in principio quadragesime, stagnum suum evacuare voluerit, ut pisces vendat, monachi stagnum suum ita evacuabunt per dies duodecim, quod aqua non nocebit evacuationi stagni Roberti sepedicti. Et statim post dies duodecim aquam retinebunt. De decima vero, propter bonum pacis, terminatum est quod ipsa monachis remanet in pace a quercu Beroldi, per viam publicam ad Pratum Potini directe procedentem, usque ad ductum, et a ductu, per novum stagnum meum, sicut gucterium dividit et indicat quod descendit a noa Beroldi, et a capite illius noe, per inter duo plesseia, sicut pater meus tenebat de feodo de Bresnart. Masuram vero ribalde que est infra predictas metas concedunt monachi, ad duos sextarios sementis, ecclesie Prati Potini, pro residuo decime unde erat contentio, ut remaneat ecclesie de Prato Potini. Ego, Nicholaus et fratres mei donavimus duos sextarios bladi monachis, unum frumenti et alterum siliginis, liberos et quietos ab omnibus rebus, in festo sancti Dyonisii, singulis annis, persolvendos. Et sciendum quod, apud Pratum Potini, in grangia mea assignavi monachis, sextarium frumenti capiendum, mater autem mea sextarium siliginis in sua dote, quamdiu vixerit, et, post mortem ejus, ego, et heres meus post me, illos duos sextarios in dicta grangia persolvemus. Terram autem quam pater meus dedit monachis in elemosinam perpetuam, ab omnibus rebus liberam, ego et fratres mei concessimus, que est a quercu Beroldi, inter duas vias publicas, usque ad vallem Constancet. Ut autem hec omnia firma maneant in perpetuum, ego, Nicholaus, assensu

et voluntate Roberti et Willelmi et Hugonis, fratrum meorum, dignum duxi presentem cartam sigilli mei munimine confirmari. Actum anno gratie M° CC° quinto decimo.